MONITUM

Ad Rev. Parochos Archidiœcesis Quebecensis circa pastoralem N. 63.

Ne ex dictæ pastoralis lectione et explicatione gravia oriantur incommoda, OMNINO abstinendum est a quavis allusione ad quæstiones politico-religiosas quæ nunc temporis in nostra regione agitantur. De solius Romani Pontificis calamitatibus agendum, ut omnes fideles nostri corde uno et anima una ipsi compatiantur et pro ipso orent.

Insistendum præcipue optimo operi quod *Apostolatus Orationis* vocatur, ut omnes fideles huic aggregentur et ita facilius et citius finis omnium malorum a Deo Optimo obtineatur.

Petrus quidem servabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo... Et ecce Angelus Domini astitit...et ceciderunt catenæ de manibus Petri... (Act. XII. 5...)

Quebeci, 22 aprilis 1877.

✠ E.-A. ARCHPUS QUEBECEN.